Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26317
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Nonne mater eius dicitur maria etc. Hec itaque
sunt que circa generationem marie de patribus et singu-
larem generationem christi de ipsa et circa conditiones eius et
vitam et actus et educationem et curam ipsius ihesu
a maria et ioseph habentur scripta et expressa a ma-
theo in suo ewangelio. Que marcus scripsit de vita
et virtutibus beate virginis. capitulum xiii.

Marcus uero in suo ewangelio secundum quod dicit
Augustinus in libro contra faustum. videtur esse
quidam recapitulator et abbreviator eorum
que a matheo scripta erant. Nec de generatione christi
a patribus. nec de generatione christi de maria. nec de
gestis aliquibus circa ipsam vel ab ipsa. nec de ipsius christi
educatione et curatione a parentibus facit aliquam
mentionem. Sed ista omnia supponendo que a ma-
theo prius scripta. qui tamquam primus conscriptor ewangelice
hystorie ab origine humanitatis et humane
nativitatis christi alias incepit suam ewangelii narrationem
et descriptionem. Ipse marcus suum ewangelium incipit a
predicatione iohannis tamquam a principioribus inchoando.
Sed capitulo iii. hec duo solummodo de maria matre
ihesu tetigit. quod querebat una cum fratribus eius foris stan-
tibus ipsius loqui ihesu cum in templo predicaret ut
prius habitum est mathei xii. Et quod iudei christum despi-
cientes dixerunt. Nonne est hic fabri filius marie